

aut definita sunt a R. Pontifice, vel proscripta, suis quæque locis notanda curavimus; non erit tamen inutile, ipsamet Pontificum decreta, & catalogum thei um damnatarum seorsim adjicere, ut, cum opus fuerit, a Theologo possint consuli. Ea nos ad calcem secundi voluminis rejecimus, ne hanc dissertationem plus æquo prolixiorē redderemus.

CAPUT IV.

De Conciliis.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Concilium, quotque Synodalia Canonum classes.

Conciliorum receptissima hodie divisio est in Generalia, Nationalia, Provincialia, & Diœcesana, Generalia, seu Œcumenica dicimus ea, ad quæ Rom. Pontificis vocatione omnes, aut præcipua Christianorum Episcoporum pars congregatur, ut causas scilicet definiat, quæ ad Ecclesiæ, sive fidem, sive mores pertinent. Nationalia sunt, cum a Primæte omnes unius regni, ac Nationis Pontifices coguntur; uti quæ ab unius Provinciæ Episcopis, a Metropolitanis evocatis celebrantur, Provincialia consuevimus appellare. Tandem Diœcesana sunt Synodi Sacerdotum, quæ ab Episcopis singulis in sua Diœcesi haberi solent ob privatâ singularum Ecclesiarum causas.

Ex omnibus his Conciliis quædam sunt congregata R. Pontificis auctoritate, alia vero non item. Rursum alia confirmata sunt a R. Pontifice, alia vero non sunt ab eodem confirmata.

Tria autem in quolibet Concilio pertractari possunt, ea scilicet, quæ ad fidem, mores, atque Ecclesiasticam disciplinam spectant. Quamobrem Conciliorum Canones alii fidei sunt, quibus nempe quæ credenda sunt, quæque a fide abdicanda definiuntur, alii morum, qui quæ agenda sunt, aut fugienda docent: alii demum disciplinæ, quibus consuetudines ad Ecclesiarum regimen, & ordinem aptissimæ constituuntur.

§. II.

De vero usu Conciliorum in Morali Theologia.

Canon I. Concilia omnia, quæ R. Pontificis auctoritate; nec congregata, nec confirmata sunt, errare in doctrina morum possunt, atque adeo certam fidem facere nequeunt eorum quæ agenda sunt aut effugienda.

Id sane invicta ratione demonstrari potest. Nam ejusmodi Concilia errare in fide possunt, ut a Cano, Bellarmino, Suario, aliisque TT. demonstratum pridem est evidentissimis testimoniis. Quid ergo mirum, errare illa posse in morum doctrina? Sed ex tribus Provincialibus Conciliis exemplum profero, scilicet Anglicano apud Bedam lib. 4. hist. c. 5. Suessionensi in Gallia, & Vermeriensi sub Pipino, VIII. Sæculo celebrato. In tribus his Synodis declaratur,

per viri adulterium, aut feminæ dissolvi Matrimonium, ita ut innocens possit rursus nubere; quod Evangelicæ doctrinæ repugnat.

Canon II. Concilia quæcumque, sed Generalia præsertim, quæ Pontificia auctoritate confirmata sunt, certissimam doctrinæ regulam præbent morali Theologo. Inter Diocesana Concilia a R. Pontifice probata censetur Complutense sub Alphonso Carrillo, Archiepiscopo Toletano, ubi damnatus est Magister quidam Oxomensis, qui male de clavibus, & Sacramento Pœnitentiæ sentiebat. Inter Provincialia vero, & Nationalia, præter antiquiora illa Toletana, Arelatensia, Hispalensia, cet. licet non expresse, implicite tamen ab Ecclesia silentio suo probata, Ancyrantum, Neocæsariense, Gangrense, Sardicense, Africanum, & Carthaginensia a Leone IV. 20. *dist. c. de libellis* confirmata habentur. Atque ut ex recentioribus exemplum proferam, Turonense 1663. probavit Greg. XIII. Ebredunense 1727. Benedictus XIII. & montis Libani Bened. XIV.

Canon III. Ex Conciliis, quæ probata quidem non sunt a R. Pontifice, sed ne damnata quidem ab ipso fuerunt, probabile argumentum sumitur uti ad fidei dogmata suadenda, ita & ad doctrinas, quæ ad mores spectant, stabilendas. Hujus rei vel illud abunde magnum argumentum est, quod ex innumeris ejusmodi Conciliis paucissima reperiuntur, quæ a recta doctrina declinarint.

Canon IV. Conciliorum decreta, quæ ad disciplinam spectant, cave cum iis, quæ ad mores,

confundere. Nam Canones morum non sunt obnoxii varietati; contra Canones disciplinæ pro locorum, ac temporum diversitate mutari possunt. Vide Thomassini egregium opus *de beneficiis, ac disciplina Ecclesiastica*.

Canon V. Conciliorum decreta ex sensu, & more temporum, quibus conditi sunt, interpretabimur. V. Sirmundum in Antirrhético, in quo explicationem suam Canonis Antissiodorensis: *non licet vitula, aut cervulo facere*, multis argumentis confirmat.

Canon VI. Formulæ ipsæ Conciliorum ad stylum, & barbariem sæculi, quo celebrata sunt, exigendæ erunt; neque enim *communio, impositio manuum*, aliaque id genus sexcenta, idem omnibus sæculis significarunt. Quare Glossarium Cangii a Maurinis Patribus egregie locupletatum usui maximo esse poterit Morali Theologo in Canones Conciliorum diligentius inquirere volenti.

Canon VII. Editiones Conciliorum sunt maxime consulendæ, quæ nostro ævo prodire, Cossartii, inquam, & Labbæi, Harduini, & Coleti, ac Dominici Mansii, qui accessiones, emendationesque plurimas adjunxit ad Labbænam Collectionem. Cave autem potissimum, ne multum fidas Canonibus Conciliorum, quos Gratianus in suum Decretum ex depravatis utique libris intulit, sed illos cum novissimis, & castigatioribus editionibus confer.

Canon VIII. Non omnia, quæ in Conciliis reperiris ad mores spectantia, præcepta fuisse credito, sed eorum multa ex pio consilio pro-

diere, atque adhortationem magis sapiunt, quam præceptionem. Sic egregie monet Mediolanense Concilium V. p. 1. de his, quæ ad dies festos, & sacra tempora pertinent: *Quadragesimalibus, aliisque jejunii, pœnitentiæ, & publicæ supplicationis diebus, fideles se vitæ disciplina severiore adstringant, sanctisque institutis, & moribus sacro illi tempori convenientibus, se, suosque, qui Patresfamilias sunt, quam rectissime in omnes partes conforment.* Quid hæc institutione præclarius? Nemo tamen Theolorum hæc in medium attulerit, ut probet, violati jejunii reum futurum, qui isthuc haud observavit.

Tandem Theologum moneo, ut ad notitiam Conciliorum, & Juris Canonici adjungat notitiam aliquam Juris Civilis. Nam Juris peritorum consensus, concorsque sententia, ubi de moribus Ecclesiasticis, deque Religionis cærimoniis, & officiis Ministrorum Ecclesiæ disseritur, quatenus hæc omnia legibus positivis disponuntur, Theologo magnam fidem facere potest, ac debet, ut probat Canus lib. 8. c. 7. de locis Theologicis.

Appendix de Libris Pœnitentialibus.

Canon I. Veterum librorum Pœnitentialium utilis est lectio Confessario ad aliqualem, ut loquitur Bened. XIV. proportionem servandam inter diversas peccatorum species, & pœnitentiam pro singulis imponendam; ac præterea ut idem Confessarii inde argumentum desumant ad

aperiendam pœnitentibus admissorum scelerum gravitatem. Hinc in pluribus Synodis eorum lectio commendata. Confer. Bened. XIV. *de Syn. Diœc. lib. 11. c. 11.*

Canon II. Veteres libros Pœnitentiales magnificare, ut præsentis Ecclesiæ disciplinam reprehendas, impium est, ac detestandum.

Canon III. Damnandi sunt, qui veteris Ecclesiæ disciplinam circa pœnitentiam privata auctoritate instaurare conantur; præsentis disciplina contempta.

CAPUT V.

De auctoritate, & usu Theologorum in doctrina morali.

Canon I. Si qua in quæstione universi TT. seu Casuistæ eadem inter se concinunt, agentes, aliquid esse licitum; ab eorum opinione discedere, hæresi proximum est. Cano lib. 8. c. 4. Nam si in eo errarent. TT. omnes, Ecclesiam exponerent errandi periculo, cum & Confessarii, & Concionatores id populum doceant communiter, quod a Theologis accepere. Ita fit, ut Ecclesia eorum errorem disimulando, Christi fideles suo silentio deciperet. Error enim, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cum non defenditur, opprimitur, ut Innocentius ait 83. *dist. error. Dixi autem, agentes, aliquid esse licitum.* Minor enim est occasio errandi, & peccandi, si licere universi negent, quod re vera liceat, quam si licere affirmant, quod minime liceat. In eo enim casu, qui eorum doctrinam sequetur, tu-

tiorem eliget, nullique salutis periculo sese objiciet.

Canon II. Ex Auctorum fere omnium Moralium communi sententia usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut (nisi plane gravis, & nemini observata ratio, aut auctoritas, sed clara, atque perspicua obstat) illis refragari, temerarium sit. Cano ibidem.

Canon III. Theologorum Moralium etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobatur. Ex Cano ibidem.

Canon IV. Non ideo *præcise* probabilis censi debet opinio quædam, quod ab aliquo juniore auctore doceatur. Nam Alex. VII. hanc 27. propositionem damnavit: *Si liber sit alicujus Junioris, & moderni, debet opinio censi probabilis dummodo non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

Canon V. Unicus autem, si sit omni exceptione major afferatque rationem, quam alii non considerarint, vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat, poterit reddere opinionem probabilem. Hæc enim omnia simul accepta reddunt opinionis fundamentum omnino grave, quod ad veram probabilitatem requiritur.

Canon VI. In re tamen, quæ maxime obscura sit, unius auctoris contra communem opinionem sententia examen diligens postulat, antequam ea duci te sinas. Egregium est in hac re Agustini testimonium de Bapt. l. 3. c. 4.

Quid ad Jubajanum scripserit Cyprianus, jam legi. Et profecto issem in eandem sententiam, nisi me ad diligentiorum considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam fortasse doctiores per tot gentes latinas, græcas, barbaras, & ipsam hebræam, Ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, quæ ipsum quoque pepererat, qui mihi quoque nullomodo videri possunt, frustra noluisse istam sententiam; non quia fieri non potuit, ut in obscurissima quæstione verius pluribus unus (hinc confirmata Canonem superiorem) paucive sentirent; sed quia non facile pro uno, vel pro paucis adversus innumerabilis ejusdem religionis, & unitatis viros & magno ingenio, & uberi doctrina præditos; nisi pertractis pro viribus, atque perspectis rebus ferenda sententia est.

Canon VII. Theologorum, qui post damnatas propositiones scripsere, major habenda ratio est in iis, quæ ad ipsas confixas sententias spectant, vel cum illis adfinia sunt.

CAPUT VI.

De usu rationis naturalis in Theologia Morali.

Canon I. Rationis naturalis usus in Theologia necessarius est. Id quidem de Theologia universa demonstrat Canus lib. 9. c. 4. nominatim vero de ea parte Theologiæ, quæ mores naturæ consentaneos præscribit, vitiaque naturæ contraria refutat. Quo loco (inquit ipse) sive in schola definias quicquam, sive populo in concione per-

suadeas recta, prava dissuadeas; naturæ, rationis, philosophiæ opem contemnere, amentis erit. Addo, id nostra ætate Theologo esse maxime necessarium ad diluenda sophismata, quibus pseudophilosophi Christiana dogmata evertere conantur.

Canon II. Ex tamen rationes Theologo usitiores esse debent, quæ ex certis Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Pontificum testimoniis descendunt. Nam qui Theologiæ præcepta humanis metiuntur argumentis, hi primun omnem vim Theologiæ, & gravitatem amittunt, deinde, faciunt, ut Theologia, detracta auctoritate, non solum contemnatur, sed ne Theologia quidem sit. V. Canum eodem lib. 9. c. 1.

Canon III. Firmum argumentum illud est, quod ex perspicuis, esploratisque principiis conficitur. Sic ex illo axiomate, *scienti, & consentienti non fit injuria* lib. 6. decr. ult. Reg. 27. optime collige, eum, qui scivit, alium effodere thesaurum in agro ipsius, neque, cum facile posset, id ve-tuit, conqueri de injuria non posse, si alter sibi inventum thesaurum attribuat. Lugo de Just. d. 6. & alli.

Canon IV. Duo tamen caveto in usu principiorum. 1. ne veluti certa sumas principia, quæ talia censentur, eo quod falsitas eorum non fuit animadversa. Hujusmodi est apud Maffejum & Muratorium tritum illud axioma: *pecunia non parit pecuniam*. Alterum, ne in alium omnino sensum, quam qui verbis probe intellectus subest, vera cæteroqui axiomata distorqueas. Sic illud: *in dubio tutior pars est eligenda*, nisi

recte intelligatur, in damnatum tutorisimum potest inducere.

Canon V. Incertæ illæ rationes sunt, quæ licet probabiles sint, conjecturis tamen huc, atque illuc trahuntur. In rebus tamen dubiis, quæque ex Scripturis, ac Patribus definiri nequeunt, illis uti licet; ea tamen lege, ut ne nimium argutando ad sophismata, & inanes ratiocinationes rem traducamus. Summopere autem diffidendum argumentationibus illis, quæ a simili ducuntur; iis enim in Theologiam moralem laxasque Vaticano fulmine doctrinas inductas fuisse, novumque illum opinandi modum, quem in scholas irrepisse dolet Alex. VII. alienum ab Evangelica simplicitate, Terrillus monet, comprobatque.